

imago seu descriptio secundi templi apud Ezechielem XL-XLIV, quae nimis magna est, nec illi respondit templum a Zorobabele aedificatum.

4° Si quaedam vaticinia in sacra historia impleta non reperiuntur non ideo falsa sunt aut historiae repugnant: potest enim fieri ut revera implementum habuerint, quod tamen in Scriptura narratum non sit, aut etiam ut nondum advenerit tempus in eis praedictum. Ita de pluribus vaticiniis Isaiae, Ezechielis, Amos, quae directa sunt adversus Moabitas, Philistaeos, Aegyptios, Aethiopes difficile est aut saepe impossibile demonstrare et exponere implementum, quia nempe illarum gentium historia admodum imperfecte cognoscitur. Ita etiam quaedam Danielis prophetiae, item multa quae a Christo praedicta fuerunt Matth. XXIV, et magna pars vaticiniorum Apocalypseos Iohannis ideo impleta non sunt, quia respiciunt ultima Ecclesiae tempora quae nondum advenerunt.

5° Cum Prophetiae temporum ordinem ac distinctionem plerumque non servant, cavendum est ne contraria putemus ea vaticinia quae de iisdem rebus vel personis contraria praedicunt, quae tamen, distinctis temporibus, ac variis respectibus simul optime conciliantur. Hoc praecipue habendum est praecipue in Isaia qui de Christo modo laeta et gloriosa, modo tristia ac probrosa vaticinatur ut Is. IX et XI, coll. L et LIII, imo etiam in uno eodemque contextu utrumque genus eventuum aliquando miscet ut cap. LII. Similia occurrunt in Prophetis relate ad futuras sortes populi Iudaici.

6° Demum animadvertendum est quaedam vaticinia duos continere sensus, alterum literalem, alterum mysticum, qui nisi distinguantur videntur historicis libris contradicere, multa enim quae in iis continentur non possunt ad typum seu figuram historice referri, sed ad antitypum seu figuratum pertinent. Ita ex. gr. Psalmus LXXI, quamvis de Salomone scriptum sit, multo tamen plura habet de Christo cuius Salomon erat figura, quae si historice inspiciantur nunquam de Salomone adimpleta sunt, ut ex. gr. quod in aeternum esset regnurus, quod omnes reges mundi eum essent adoraturi, omnesque gentes in eo essent benedicendae, et alia huiusmodi.

### CAPUT II.

#### DE CRITERIIS ET REGULIS DOGMATICIS QUAE EX INFALLIBILI ECCLESIAE MAGISTERIO DERIVANTUR

Hucusque tradidimus normas interpretandi quae Christiano cuilibet interpreti observandae sunt ob divinam Scripturae inspirationem. Verum haec interpreti *Catholico* sufficere non possunt, qui praeterea cognoscit infallibile a Deo constitutum fuisse magisterium, cui non tantum in genere depositum revelationis, sed et in specie Sacra Scriptura eiusque dogmatica interpretatio ex officio concredita est: a cuius magisterii norma proinde non potest in Scripturis exponendis praescindere. Quinimo hoc magisterium proprie exhibet *positiva* criteria interpretationis dogmaticae, dum Scripturae inspiratio et infallibilitas *negativa* tantum criterium subministrat, ostendens scilicet quomodo Scriptura exponenda non sit, non autem quinam sit verus singulorum locorum sensus. Oportet itaque nunc de his criteriis agere quae proprie *catholica* appellari possunt, et catholicae interpretationis tesseram constituunt (1).

Ut autem ordine procedamus distinguimus duos modos quibus Ecclesiae magisterium potest influxum exerere in Sacrae Scripturae interpretationem, vel scilicet *directe* et *specialiter*, vel *indirecte* et *generaliter*. Primum fit quando Ecclesia alicuius determinati loci Sacrae Scripturae sensum exponit ac definit, alterum vero quando Ecclesia nullum locum determinatum interpretatur, sed doctrinam revelatam declarat, proponit ac vindicat, quae doctrina etiam in Sacra Scriptura continetur, ex hac enim uberiori doctrinae expositione fieri non potest, quin lux affundatur iis Scripturae partibus, quae de eadem doctrina pertractant. Criteria ac regulae ad utrumque modum influxus ecclesiastici magisterii pertinentia distincte exponenda sunt.

(1) Criteria rationalia libros sacros respiciunt quatenus *humani* sunt, criteria dogmatica primi ordinis eosdem respiciunt quatenus *intrinsicae* sunt *divini*, demum criteria dogmatica catholica, de quibus nunc agimus, eos considerant quatenus canonici sunt et *ecclesiastici*, ex quibus scilicet Ecclesia dogmata sua promit, et quorum proinde custodia et authentica interpretatio ad ipsam Ecclesiam pertinet. Ita divisio regularum respondet variis respectibus sacrorum librorum iuxta divisionem, quam sequenti sumus in Introductione Critica.

## ARTICULUS I.

CRITERIA ET REGULAE DOGMATICAE QUAE AD DIRECTUM ECCLESIASTICI  
MAGISTERII INFLUXUM IN SACRAE SCRIPTURAE  
INTERPRETATIONEM PERTINENT

Huiusmodi regulas proponit et inculcat Concilium Tridentinum Sess. IV Decret. de edit. et usu Sacr. Libr. hisce verbis: « Praeterea ad coercenda petulantia ingenia, decernit (Sancta Synodus) ut nemo, suae prudentiae innixus, in rebus fidei et morum, ad aedificationem doctrinae Christianae pertinentium, Sacram Scripturam ad suos sensus contorquens, contra eum sensum quem tenuit et tenet Sancta Mater Ecclesia, cuius est iudicare de vero sensu et interpretatione Scripturarum Sanctarum, aut etiam contra unanimum consensum Patrum, ipsam Scripturam Sacram interpretari audeat; etiamsi huiusmodi interpretationes nullo unquam tempore in lucem edendae forent. Qui contravenerint, per ordinarios declarentur, et poenis a iure statutis puniantur. »

In hoc decreto duo proponuntur criteria interpretationis: interpretatio seu sensus Ecclesiae, et unanims consensus sanctorum Patrum, scilicet circa locorum Scripturae interpretationem: unde duae regulae deducuntur 1° *sequendum esse in Scripturae expositione sensum Ecclesiae* 2° *sequendum esse unanimum consensum Patrum*, seu aliis verbis accipiendam esse illam Scripturae interpretationem quam vel Ecclesia, vel Patres consentientes proposuerunt. Antequam vero de utraque regula seorsim agamus oportet quaedam praemittere de sensu ac mente Tridentini Decreti. Imprimis quaeri posset cur haec duo distinguantur scilicet sensus Ecclesiae, et consensus Patrum, cum iuxta principia sanae Theologiae Patrum consensus eatenus tantum auctoritatem habeat quatenus sensum Ecclesiae repraesentat, atque adeo in illum refundatur. Verum sciendum est Ecclesiam posse mentem suam declarare diversis modis circa aliquam doctrinam, vel, ut in casu nostro, circa sensum Sacrae Scripturae; aliquando enim id facit per aliquod solemne decretum, aut aliquem solemnem et publicum actum, ita ex. gr. Concilium Tridentinum in Sess. XIV definivit sensum verborum

Christi Luc. XX: *quorum remisistis peccata* etc. et verborum Iac. V de extrema Unctione et ita de aliis locis, item per publicam et constantem praxim baptizandi infantes declaravit extensionem verborum Math. XXVIII, 19, et Io. III, 3 circa subiectum Baptismi, et per praxim Eucharistiam administrandi sub unica specie declaravit verba Io. VI, 54-57, et 1 Cor. XI, 26 et 27 in quantum utriusque speciei sumptionem complectuntur absolutum praeceptum non continere. Aliquando vero ecclesia nullo speciali decreto vel actu interposito per ordinariam praedicationem et communem sensum Episcoporum et fidelium aliquam veritatem vel Scripturae interpretationem proponit, cuius sensus legitimi interpretes et expositores sunt sancti Patres. In decreto igitur Tridentino per *sensum Ecclesiae* intelligendus videtur primus ille modus proponendi Scripturae interpretationem, alter autem per *consensum Patrum*: qui quidem modi revera duas regulas diversas constituunt, quia licet radicaliter in eadem Ecclesiae auctoritate fundentur, per se tamen distincti sunt, ex diversis fontibus hauriri debent, et idcirco *proxime et immediate* duas distinctas normas interpreti suppeditant. Secundo quaeri potest de obiecto harum regularum, eiusque extensione. Hoc autem a Concilio clare expressum est illis verbis: *in rebus fidei et morum ad aedificationem doctrinae Christianae pertinentium*, scilicet regulae istae in iis tantum partibus Scripturae observandae sunt, quae de fide et moribus pertractant, quasque uno vocabulo appellare possumus *loca dogmatica*, non autem in illis partibus quae de aliis rebus, puta de historia, de scientiis naturalibus, geographia aliisque similibus agunt, de quibus Ecclesia iudicium nullum proferre solet. Et hic nota prudentiam Concilii Tridentini: non enim dixit, ut nonnulli intellexisse videntur: *ad aedificationem fidelium*, quia tunc omnia Scripturae loca comprehenderentur, dicente Apostolo Rom. XV, 4: « Quaecumque scripta sunt ad nostram doctrinam scripta sunt » sed dixit: *ad aedificationem doctrinae Christianae*: quod valde diversum est, et ea tantum loca complectitur quae aliquam doctrinae partem continent (1). Tertio demum quaeri

(1) Per hoc autem nolumus excludere, seu subtrahere omnino a magisterio Ecclesiae cetera loca Scripturae non doctrinalia: sed haec obiectum tantum *indirectum* constituunt magisterii Ecclesiae, de quo in articulo sequenti dicetur.

posset de vi et extensione Decreti Tridentini. Non enim defuerunt qui dicerent decreto illo nullam normam positivam praescribi, aut si praescribitur eam non obligare in conscientia sed esse legem mere poenalem. Utrumque tamen falsum est: et quod sit norma positiva paulo post demonstrabimus adversus Iahnium eiusque defensores, quod autem praeceptum sit obligans graviter et in foro interno apparet manifestissime ex verbis Concilii: *decernit, ut nemo... interpretari audeat*; et ex gravibus poenis contra inobedientes irrogatis quae quidem legem non constituunt sed constitutum supponunt; prius enim fertur praeceptum gravibus illis verbis, et postea additur: *qui contravenerint... puniantur*. Secus dicendum est de alia quaestione an lex ista dogmatica sit, an disciplinaria: quamvis enim ad catholica principia revocentur praedictae regulae Tridentinae, a Concilio tamen proponuntur non ad modum definitionis doctrinalis, sed ad modum normae practicae seu praecepti, ut apparet ex toto contextu Decreti, et ex sanctione apposita, quae non est *anathema contra negantes*, ut fit in definitionibus dogmaticis, sed sunt *poenae canonicae* per ordinarios infligendae *contravenientibus*, idest violentibus praeceptum. Hisce praeciactis, utramque regulam seorsim demonstrabimus.

#### THESIS XII.

*In exponendis locis Sacrae Scripturae, quae ad fidem moresque pertinent, non licet interpreti catholico recedere a sensu, quem tenuit ac tenet sancta Mater Ecclesia.*

Argumentum fundamentale ad huius Theseos veritatem demonstrandam indicatur in decreto Concilii Tridentini illis verbis: *Sancta Mater Ecclesia, cuius est indicare de vero sensu et interpretatione Scripturarum Sanctarum*. Ex quo ita argumentamur: in Scriptura exponenda non licet recedere a sensu illius, cuius est indicare de vero sensu Scripturae, seu qui est legitimus, authenticus et infallibilis Scripturae interpretis. Atqui talis est Ecclesia. Ergo. Minor propositio argumenti demonstrari potest rationibus cum indirectis, tum directis.

##### I. Rationes indirectae.

Necessario adesse debet aliquis authenticus interpretis Scripturae

in iis locis saltem qui ad fidem et mores pertinent. Atqui secluso Ecclesiae magisterio nullus huiusmodi interpretis inveniri aut assignari potest. Ergo huiusmodi interpretis est ipsa Ecclesia. Maior propositio ex eo probatur quod Scriptura sit constituta tamquam norma et fundamentum fidei, simulque obscura admodum sit atque interprete indigeat. Quae quidem hic demonstrata supponimus, praesertim cum alterum ex dictis a Protestantibus quoque ultro admittatur, alterum vero, seu obscuritas Scripturarum, quamvis a Lutero aliisque primis Protestantibus negatum fuerit, nunc vero ab omnibus adversariis experientia et rei evidentiali convictis concedatur. Accedit quod etiamsi praescindamus a speciali obscuritate SS. Librorum, ipsa indoles ac scopus eorumdem necessitatem induceret authenticum cuiusdam interpretis. Scriptura enim est codex religiosus et moralis Christianorum, in quo nempe gravissimae leges feruntur sub severissimis poenis observandae, cum credendorum tum agendorum. Porro considerata hominum natura nullus unquam codex fuit aut esse potest, qui authentica interpretatione non indigeat ad leges auctoritative explicandas et applicandas, litesque componendas.

Minor vero propositio facile demonstratur ad examen revocatis aliis iudiciis, et interpretibus, quos Protestantes relicta Ecclesiae auctoritate in medium proferunt. Alii enim iudicium seu rationem individualement uniuscuiusque authenticum Scripturae interpretem constituunt, alii saltem rationem hermeneutica et biblica scientia instructam, alii privatam Spiritus Sancti illustrationem, quae verum Scripturae sensum unicuique suggerat. Verum evidens est nullum ex his dici posse authenticum interpretem. Praeterquamquod enim legum interpretatio non privata, sed publica esse debet, cui omnes subditi obtemperant necesse est, ipsum factum sufficit ad hypotheses illas excludendas: Protestantes enim praefatis regulis ducti nunquam inter se convenire potuerunt, et in ipsis locis et doctrinis fundamentalibus Scripturae interpretandis acerrime inter se digladiantur. Ab ulteriori horum principiorum refutatione suspersedemus cum haec a Theologis fuisse pertractari soleant, et in Introductione critica quantum satis erat de his disputatum sit (1).

(1) Vide Introd. crit. Part. II, Sect. 1, Cap. II, Thes. XLI, ubi etiam argumenta praecipua Lutheranorum et Calvinistarum soluta invenies.

II. Rationes *directae* pro authentica Ecclesiae interpretatione. *Authentica* dicitur ea interpretatio quae ab ipso legislatore procedit, ideoque vim legis habet. Potest autem interpretatio a legislatore procedere duobus modis, vel scilicet immediate cum ipse legislator per se mentem suam declaret, vel mediate cum declaratio fit ab eo qui legislatoris vices gerit, eiusque mentem repraesentat, et cuius interpretationes ille tamquam suas agnoscit. Dicimus itaque interpretationes Scripturae ab Ecclesia propositas authenticas esse nunc uno nunc altero, nunc utroque simul ex praedictis modis. Et sane.

1° Ecclesiae interpretationes semper authenticae sunt saltem secundo modo, seu mediate. Et revera supponimus hic Ecclesiae concessum fuisse magisterium infallibile in iis quae ad fidem moresque pertinent, ita ut eius iudicia in revelatione divina declaranda et proponenda certa omnino sint, et a Deo rata habeantur. Porro si Ecclesiae sententia talis est cum in genere de divina revelatione agitur, eadem quoque esse debet cum agitur de sensu Sacrae Scripturae: nihil enim magis ad magisterium fidei pertinet quam Scripturae expositio, in locis nempe doctrinalibus. Haec enim non solum ad revelationem pertinent, sed constituunt ipsum fontem revelationis. Oportet igitur Ecclesiam certo iudicare posse de sensu illorum locorum, quoties id opus fuerit, vel ad dogmata definienda, vel ad lites et quaestiones inter fideles exortas dirimendas.

Confirmatur hoc argumentum ex eo quod Ecclesia possidet totius revelationis sensum *antecedenter*, et *independenter* a Scripturis. Priusquam enim Apostoli libros suos scriberent Ecclesia iam acceperat revelatam doctrinam, eaque viva voce tum ipsius Christi, tum Apostolorum cum Spiritus Sancti illustratione et assistentia praedicata, stabilita, per mundum diffusa, et tum theoretice tum practice ab omnibus fidelibus recepta erat. Haec autem doctrina nec tota, nec cum omnibus explicationibus scripto deinceps consignata fuit, quia scilicet Apostoli in suis lectoribus supponebant praecedentem instructionem, ad quam saepe etiam expresse appellant (Col. II, 6-8, 1 Tim. VI, 20 seq., 2 Tim. I, 13 seq., II, 1 et 2, III, 14 etc.). Ecclesia igitur quae Apostolici muneris ac traditi ab Apostolis depositi custos et haeres est, ob plenum istum sensum et quasi conscientiam totius doctrinae revelatae melius iudicare pot-

est quam quilibet privatus doctor de sensu illorum locorum Scripturae in quibus aliqua pars eiusdem doctrinae breviter et obscure continetur. Ideoque eius expositio mentem Auctoris seu Spiritus Sancti certo repraesentat. Seite ergo Tertullianus contra deliras Gnosticorum expositiones Ecclesiasticam interpretationem opponens in Lib. Scorpiaci aiebat: « Quis nunc medullas Scripturarum magis nosset, quam ipsa Christi schola? quos et sibi discipulos Dominus adoptavit, omnia utique edocendos, et nobis magistros adornavit, omnia utique docturos. »

2° Etiam primo modo, seu immediate, et strictissimo sensu Ecclesiae interpretationes authenticae aliquando sunt. Sunt enim aliquando, ipsae interpretationes quas Christus et Apostoli, seu ipsi Scripturarum auctores, viva voce tradiderunt, quas Ecclesia diligenter conservatas pro data opportunitate in medium adducit et fidelibus proponit. Quod ut melius intelligatur recolendum est Christum Dominum et Apostolos solitos fuisse non modo doctrinam praedicare, sed etiam praecedentes Scripturas exponere, scilicet, tum Christum tum Apostolos Scripturas V. T., Apostolos autem etiam Scripturas N. T. vel a se, vel ab aliis Apostolis seu Discipulis antecedenter vulgatas. Constant haec ex clarissimis ipsius Scripturae testimoniis, quae alias citata sunt. Christus enim et in synagogis dicitur exposuisse prophetias antea perfectas, et discipulis suis explicasse dicitur, quae de ipso erant in *Lege Moysi, in Prophetis et in Psalmis*, et multa quoque declarasse credendus est toto illo quadraginta dierum spatio quo redivivus Apostolis apparuit, et familiariter cum iis conversatus est *loquens de regno Dei*. Idem quoque de Apostolis tenendum est. Et sane quod Apostoli, quibus Christus Dominus *aperuit sensum ut intelligerent Scripturas* (Luc. XXIV, 45), et quibus Spiritus Sanctus aderat *docens et suggerens omnia* (Io. XIV, 26), Scripturas V. T. saepissime declaraverint nullum dubium esse potest: hoc enim ubique faciunt in suis scriptis, et in sermonibus in N. T. relatis, idem igitur fecisse censendi sunt in toto cursu suae praedicationis. Sed et libros N. T. eos exposuisse credendum est: nam ex una parte plura loca occurrerant in hisce libris difficilia et obscura, quae facile poterant in pravam sensum detorqueri, aut saltem quaestionibus viam aperire, ut revera aliquando factum esse didicimus ex testimoniis S. Petri 2 Pet.

III, 16, Pauli 1 Cor. V, 9-11 et ex aliis locis; ex alia vero parte fideles solliciti esse debuerunt de horum locorum explicatione petenda ab Apostolis, ipsisque librorum auctoribus cum adhuc in vivis essent, imprimis vero a Iohanne qui coeteris Apostolis diu superstes tamquam oraculum totius Ecclesiae usque ad finem primi saeculi habitus est, pluresque habuit discipulos, quorum nonnulli eius dicta et responsa etiam scriptis mandarunt. Nemo igitur negabit Ecclesiam tempore apostolico multas habuisse locorum Scripturae dogmaticas explicationes a Christo et ab Apostolis acceptas, seu proprio et strictiore sensu *authenticas*. Hae vero partem depositi Ecclesiae concediti constituebant, quam proinde Ecclesia minime dissipavit, sed caute ac vigilanter custodivit, et cum opus sit quaestiones de sensu Scripturae dirimere easdem illas expositiones veluti de thesauro suo profert. Quibus in casibus Ecclesia non proprio iudicio, ut alias, nititur cum assistentia Spiritus Sancti, sed tantummodo testatur et fidelibus proponit mentem Auctoris Sacrae Scripturae ab ipso expresse declaratam.

3<sup>o</sup> Argumenta superius exposita confirmantur ex gravissimo testimonio SS. Patrum, qui et verbis et factis ostenderunt hanc sibi regulam semper ante oculos propositam fuisse, ut in dogmatica Scripturarum interpretatione sanctae Matris Ecclesiae sensum sequerentur. Ita fere omnes antiquas haereses ex falsa interpretatione alicuius loci Scripturae ortas sancti Patres refellebant veram interpretationem opposcentes, quam ab Ecclesia se accepisse dicebant. Irenaeus lib. IV, adv. haer. cap. 26 falsis Gnosticorum interpretationibus occurrebat hac regula: « Ubi charismata Dei posita sunt, ibi discere oportet veritatem: apud quos est ea quae ab Apostolis est successio, et id quod est sanum et irreprobabile conversationis, et inadulteratum et incorruptibile sermonis constat. *Hi enim... Scripturas sine periculo nobis exponunt.* » Vide etiam cap. 32 seq. et Lib. III, c. 4. Clemens Alex. lib. VI Strom. postquam dixisset Prophetarum libros et Christi Domini sermones non ita claros esse ut ab omnibus statim intelligantur, subiungit Scripturam sine erroris periculo intelligere eos « qui ab ipso (Christo) declaratam Scripturarum expositionem ex Ecclesiastica regula retinentes conservant. » In eadem sententia scribit Tertullianus lib. Praescript. cap. XIX: « Illic esse veritatem Scripturarum et *expositi-*

*tionum*, et omnium traditionum Christianarum, ubi apparuerit esse veritatem disciplinae et fidei Christianae » id est in vera et catholica Ecclesia. S. Athanasius in lib. de Synodus scribit: « Quae in sacris eloquiis non intelligimus non ideo reiecitimus, sed ab iis quaerimus, ab iis discere postulamus, quibus Dominus revelavit. » Auctor *Recognitionum*, quicumque ille fuerit, lib. X, §. 42, eandem regulam inculcat: « Ab eo, inquit, oportet intelligentiam discere Scripturarum, qui eam a maioribus secundum veritatem sibi traditam servat, ut ipse possit ea quae recte suscepit competenter asserere. » Gregorius Nazianz. orat. XLVI ad Nectarium perversis haereticorum interpretationibus Sacri Textus *symbolum Ecclesiae* opponit, et ex hoc illas corrigit. Generatim vero de eodem Gregorio, eiusque amicissimo S. Basilio M. narrat Rufinus, (Hist. Eccl. lib. XI, c. 9) eos in Pontum recessisse, ibique divinarum rerum contemplationi, et Scripturarum studio simul operam dedisse, « earumque intelligentiam, inquit, non ex propria praesumptione, sed ex maiorum scriptis et auctoritate sequutos esse, quos et ipsos ex Apostolica successione intelligendi regulam suscepisse constabat. » S. Ambrosius lib. III De fide Cap. 6 falsam Manicheorum interpretationem verborum Io. I, 3 seq. absolute repudiat hisce tantum verbis: « sed hoc damnat Ecclesia: » similiter Hieronymus comm. in Dan. III, 37 refellens quorundam illius loci expositionem hoc tantum affert: « Sed haec non recipit Ecclesia Dei. » Augustinus Lib. III de Doct. Christ. cap. II de ambiguis et obscuris Scripturae locis scribens ait: « Cum ergo adhibita intentio incertum esse perviderit quomodo distinguendum, aut quomodo pronuntiandum sit consulat regulam fidei, quam de Scripturarum plenioribus locis, et Ecclesiae auctoritate percepit. » Coeteris omissis, pulcherrima sunt quae in hanc rem scribit Vincentius Lirin. in Commonitorio Cap. II. « Hic, inquit, quaeret fortasse aliquis: cum sit perfectus Scripturarum canon, sibi que ad omnia satis superque sufficiat, quid opus est, ut ei *Ecclesiasticae intelligentiae iungatur auctoritas*? Quia videlicet Scripturam sacram pro ipsa sua altitudine non uno eodemque sensu universi accipiunt, sed eiusdem eloquia aliter, atque aliter alius, atque alius interpretatur, ut paene quot homines sunt, tot illine sententiae erui posse videantur. Aliter namque illam Novatianus, aliter Photinus, aliter Sabellius, aliter Donatus exponit...

aliter postremo Nestorius. Atque idcirco propter tantos tam varii erroris anfractus multum necesse est ut propheticæ et apostolicæ interpretationis linea secundum Ecclesiastici et catholici sensus normam dirigatur. »

Accedit ipsius Ecclesiæ praxis. Sane Ecclesia, idest Romani Pontifices et Concilia, nunquam omiserunt, cum opus esset, locorum Scripturæ dogmaticorum sensum exponere, falsas interpretationes condemnare, ac veram a se propositam omnibus fidelibus recipiendam iniungere. Ita verba Sacræ Scripturæ de Incarnatione, Passione, ac Resurrectione Christi non in sensu metaphorico sed in sensu literali et obvio, seu de vera ac reali Christi carne Ecclesia explicanda esse definivit contra Docetas: item proprium sensum verborum Evangelii, ubi Christi divinitas prædicatur, stabilivit contra Cerinthianos. Concilium Sardicense contra Arianos definivit verba Io. X, 30: « *Ego et Pater unum sumus* » non de concordia morali, sed de naturæ identitate intelligenda esse. Concilium Milevitanum II (anno 416) decrevit verba Pauli Rom. V, 12 de peccati originalis propagatione tractare inquires ea « non aliter intelligenda esse nisi quemadmodum Ecclesia catholica semper intellexit. » In variis Conciliis sæc. XI habitis adversus errorem Berengarii stabilitum est verba institutionis Eucharistiæ: *hoc est Corpus meum* non figurate sed proprie esse intelligenda. Idem factum est de verbis Ex. XX, 4: « *Non facias tibi sculptile, neque omnem similitudinem* » quæ verba Ecclesia adversus Iconoclastas definivit ad Christianos non pertinere, nec obstatæ cultui sanctorum imaginum. Demum in Concilio Tridentino notum est multa Scripturæ loca declarata fuisse, eorumque sensum definitum, inflecto etiam anathemate adversus contradicentes. Ita in Sess. VII, can. 2 de Baptismo definitum est verba Christi Io. III, 5: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto non potest introire in regnum Dei,* » non esse metaphoricè explicanda, ut nonnulli hæretici volebant, de gratiæ interna tantum effusione sed de aqua vera ac naturali in Sacramento Baptismi adhibenda: ita etiam in Sess. XIV, de Sacramento Poenitentiae can. III circa verba: *quorum remiseritis peccata remittuntur eis;* et ibidem de Extrema Unct. cap. I et can. IV circa verba Iac. V, 14 et 15 de *presbyteris* ad infirmum inungen-

dum advocandis, et in Sess. XXII can. II de verbis Christi: *hoc facite in meam commemorationem.*

Et hæc sufficiant de prima regula.

### THESIS XIII.

*In locis dogmaticis Scripturæ exponendis non est recedendum ab ea interpretatione, quam Sancti Patres unanimi consensu, ac certa sententia proposuerunt.*

Ad sensum huius regulæ rite determinandum nonnulla præmittenda sunt. Nomine *Patrum Ecclesiæ* designantur non omnes promiscue Ecclesiastici Scriptores, sed illi dumtaxat qui ob suam tum sanctitatem, tum etiam antiquitatem hunc titulum expresso vel tacito Ecclesiæ consensu receperunt. Horum numerus satis ingens est, eorumque ætas protenditur ab ævo apostolico usque ad finem sæculi XII, ita ut primus eorum sit S. Clemens R. S. Petri discipulus, ultimus vero S. Bernardus. Dicitur autem in Thesi: *unanimi consensu, et certa sententia.* Ad primum quod attinet non est ita facile determinare quandonam consensus *unanimis* dici possit. Omnes quidem concedunt non requiri unanimitatem mathematicam et absolutam, quasi nempe omnes et singuli Patres in eandem interpretationem alicuius loci convenire debeant: tunc enim vix unquam hæc regula applicari posset. Quapropter contenti esse debemus *moralis, et relativa* unanimitate. Si vero quaeratur quandonam hæc habeatur respondemus, id ex variis adiunctis in singulis casibus iudicandum esse. Imprimis itaque moralis unanimitas proprie dicta tunc habetur cum maior et illustrior pars sanctorum Patrum per omnes ætates in idem conveniunt. Secundo etiam si pauci sint Patres possunt aliquando constituere moralem unanimitatem *presumptive*, et, ut ita dicam, *virtualiter*, quando ii quidem conveniunt in aliqua interpretatione absolute, et indubitanter proponenda, atque inculcanda, cœteri vero qui cum illis aut post illos floruerunt nihil adversus illam interpretationem dicunt; tunc enim præsumendi sunt priores illi sensum Ecclesiæ repræsentasse, et cœteri cum illis consensisse quamvis occasionem non habuerint id expresse affirmandi. Hic alter casus tunc potis-

simum locum habet cum agitur de iis textibus S. Scripturae, de quibus specialis controversia cum haereticis agitata fuit aliqua Ecclesiae aetate: si enim Patres illi qui adversus huiusmodi haereticos catholicum dogma defenderunt absolute proponant alicuius loci interpretationem, coeteris non contradicentibus, interpretatio illa tamquam catholica retinenda est. Ita ex. gr. si in quaestione Pelagiana Hieronymus, Augustinus, Fulgentius, Prosper, qui partes Ecclesiae contra Pelagianorum errores agebant, conveniant in quibusdam testimoniis, puta epistolarum Pauli de gratiae divinae necessitate et gratuitate, interpretandis, hic habendus est ut verus illorum locorum sensus. Ad secundum vero quod spectat tunc dicimus Patres *certa sententia* loquutos esse, cum loci cuiusdam expositionem proponunt absque ulla haesitatione, et tamquam aliquid omnino certum, et ab omnibus certo tenendum independentem a rationibus hermeneuticis quibus illa interpretatio innitur, quas rationes aut omittunt, aut saltem ita proponunt ut ostendant non ob illarum vim se in eam persuasionem venisse. Haec distinctio magni momenti est, et ad genuinum conceptum auctoritatis sanctorum Patrum stabilendum necessaria. Quantumvis enim reverentiae debeatur Patribus ob eorum ingenium, doctrinam, et sanctitatem, non sunt tamen praecise hae dotes, e quibus Theologica eorum auctoritas nascitur, sed tantum quia sunt *testes* et legitimi expositores mentis ac sensus Ecclesiae: quapropter sedulo investigandum est an illi opinionem suam proponant tamquam privati doctores ac theologi, an vero tamquam testes affirmant id quod ab Ecclesia acceperunt. Hisce praemissis, Thesim demonstramus sequentibus argumentis.

I. Merito urgere possumus imprimis argumentum *morale* seu ex legibus moralibus deductum. Nisi enim Patres in casu de quo loquimur acceptam ab Ecclesia interpretationem proponerent, eorum consensus explicari nullo modo posset, imo impossibilis appareret. Quod ut intelligatur animadvertimus imprimis hic sermonem non esse de locis claris, et evidentibus, in quibus consensus necessarius est, et pro quibus Patrum auctoritas nonnisi ad abundantiam invocari solet; sed loquimur de iis locis qui ob sensus profunditatem, aut ob verborum obscuritatem variis interpretationibus aditum praebent, et ab haereticis in malam partem detorqueri solent. In his

itaque locis interpretandis si totum negotium ingenio et industriae uniuscuiusque interpretis relinquatur, moraliter impossibile est omnes in eandem admissim interpretationem convenire, praesertim si agatur de interpretibus numero plurimis, ingenio et culturae gradu diversis, aetate, regione ac moribus longe dissitis, quemadmodum in sanctis Ecclesiae Patribus observatur. Cum igitur invenimus eos in praefatis locis eodem modo ac certa sententia exponendis consentire merito concludimus eos nequaquam ingenio suo indulgere, aut fructum suorum studiorum tradere, sed nihil aliud facere quam testari illud quod in Ecclesiae praedicatione ac sensu invenerunt.

II. Argumentum *theologicum* eandem veritatem magis magisque confirmat. Et sane, admissa Ecclesiae indefectibilitate, necessario sequitur nunquam Ecclesiam in aliquam falsam Scripturae interpretationem in rebus fidei et morum convenire posse. Atqui hoc omnino fieret si interpretatio a Patribus unanimi ac certa sententia proposita falsa esset. Impossibile est enim seingere sensum Patrum unanimem ab ipsius Ecclesiae sensu: siquidem tota Ecclesia Patres uti magistros ac duces sequitur in Scripturis exponendis. Quare si isti unanimiter in falsum sensum convenissent procul dubio secum in errorem pertraxissent universam Ecclesiam: quod profecto admitti non potest.

III. *Constans Ecclesiae testimonium ac traditio* id evincit. Huc pertinent nonnulla testimonia in Thesi praecedenti citata, ut S. Irenaei, Tertulliani, auctoris Recognitionum et alia, quibus sufficit pauca hic adiungere. S. Hippolitus in lib. C. Nöet. c. 9 narrat Nöetum ex ordine Sacerdotali depositum fuisse quod Scripturas non iuxta mentem Patrum et Ecclesiae, sed ex proprio iudicio exponeret. S. Hieronymus, licet in Scripturae interpretatione tamquam oraculum ab omnibus haberetur et consuleretur, non dubitat tamen affirmare se maiorum traditionem, ac sensum semper prae oculis habuisse; ita in Epist. ad Donn. et Rogat. « Fa-teor enim, inquit, mi Donnion et Rogatione charissimi, nunquam me in divinis voluminibus propriis viribus credidisse, nec habuisse opinionem meam, sed ea etiam de quibus scire me arbitrabar interrogare solitum fuisse, » et in Epist. ad Eustach. « Praeslitit, inquit, ut docerem quae didiceram non a me ipso, idest a prae-

sumptione mea, pessimo praeceptore, sed ab illustribus Ecclesiae viris. » Eadem repetit et inculcat omnibus in epist. ad Paulinum; et in Comm. in Daniele de contrario quorundam abusu conqueritur, quod scilicet « Scripturae Sacrae intelligentiam absque Dei gratia, et doctrina maiorum sibi vindicant. » Huc etiam pertinent ea quae superius recitavimus ex Rufino Hist. Eccl. L. XI, c. 9 de SS. Basilio et Gregorio in monasterio degentibus; quod etiam Augustinus lib. II, contra Julian. Cap. 34, generatim affirmat de Ecclesiae Doctoribus: « Quod invenerunt in Ecclesia tenuerunt; quod didicerunt, docuerunt; quod a Patribus acceperunt hoc filii tradiderunt. » Vide etiam eiusdem S. Doctoris testimonia in lib. 4, cont. Cresconium cap. 33, et in lib. de Utilit. cred. c. 14, n. 31. Origines Tract. 29 in Malth. praecipit non aliter Scripturam exponendam esse « nisi quemadmodum per successionem Ecclesiae tradiderunt nobis, » et Clemens Alex. Strom. Lib. VII, absolute pronunciat: « Illos qui adversus Ecclesiasticam traditionem Scripturas interpretantur, regulam veritatis amisisse. » Quare Theodoretus in Praefat. in Cantic. expositionem Scripturae a Patribus propositam pulchre appellat *paternam hereditatem*, quam scilicet non dissipare oportet, sed grato animo susceptam diligentissime custodire. Accedit auctoritas Conciliorum quae hanc regulam inculcare non omiserunt. Ita praeter testimonia superius adducta et Concilio Milevitano II, ex concilio Tridentino et aliis, ad rem nostram pertinet canon 19 Concilii Trullani, ubi iis qui Ecclesiae praesunt hoc praeceptum iniungitur: « Si ad Scripturam pertinens controversia aliqua excitata fuerit, ne eam aliter interpretentur quam quomodo Ecclesiae luminaria, et Doctores suis scriptis exposuerunt. » Item in Concilio VI, Oecumenico Collat. III. legitur: « In omnibus sequimur Sanctos, ac Doctores Dei Ecclesiae, et omnia quae ab ipsis scripta sunt de recta fide et ad haereticorum condemnationem admittimus. » (1) In Concilio Viennensi

(1) Tam firma et universalis haec olim fuit Ecclesiae persuasio et praxis, ut ipsi schismatici inde a saeculo IX a Sede Apostolica divulsi eandem tamen regulam retinerint in expositione Scripturarum, ut solemniter declaraverunt in Concilio Ierosolymae coacto a 1672 adversus Reformatorum dogmata: siquidem in professione fidei ibi prolata et confirmata inter cetera haec leguntur: « Credimus Ss. Scripturas fuisse revelatas, easque propterea

cum quaestio esset de testimonio Iohannis XIX, 33, seq. eius sensus declaratus est ita: « Nos ad sanctorum Patrum et Doctorum communem sententiam apostolicae considerationis aciem converterentes. . . . declaramus etc. » et in Concilio Lateranensi V, sess. XI, haec lex statuitur: « Mandamus omnibus (Evangelii praedicatoribus) ut Sacram Scripturam iuxta interpretationem Doctorum quos Ecclesia vel usus approbavit. . . . explanent. » Demum Concilii Tridentini decretum quo hanc regulam inculcat superius recitatum est, cui consonat professio fidei a Pio IV adornata, et nuper accessit declaratio Concilii Vaticani inferioris afferenda.

IV. Adversariorum obiectiones satis ineptae sunt, et vel praconceptis erroribus, vel aequivocationibus innixae.

Quod enim dicunt 1<sup>o</sup> Scripturam per Tridentinas regulas subiecti humanae auctoritati, ideoque eas admittendas non esse, duas res omnino diversas confudit, nimirum *intrinsicam* Scripturae veritatem et auctoritatem, cum *extrinseca* declaratione eiusdem sensus. Certe veritas Scripturae in se spectata non potest ab Ecclesiae iudicio pendere, cum obiectiva sit, et ex Spiritus Sancti inspiratione consequatur. Verum ex eo quod Scriptura in se vera et infallibilis sit non sequitur nos infallibiles esse in eius sensu intelligendo, ideoque potest, imo debet index aliquis infallibilis reperiri, qui eius sensum declaret authentice, et hic est Ecclesia, cuius iudicium licet humanum sit quatenus ab hominibus profertur, non est tamen humanum quod pertinet ad vim et auctoritatem, quia propter specialem divinam missionem, et iugem Spiritus Sancti adstantiam infallibile est, et in ipsum Dei infallibile testimonium refunditur.

Dicunt 2<sup>o</sup> Catholicis regulis interpretum libertatem laedi et tyrannidem imponi doctorum mentibus. Verum nihil hoc absurdum dici posset. Libertas enim intellectus non in eo consistit ut unicuique liceat cogitare ac loqui quodcumque libeat, sive verum sit, sive falsum, quemadmodum moralis libertas non ea est, qua facultas conceditur quilibet audendi sive bonum sive malum: haec enim non libertas sed effroenata licentia vocanda foret. Cum igitur certum sit Ecclesiae interpretationes veras esse, nullum ius cuiilibet

non ut libuerit, sed secundum Ecclesiae Catholicae traditionem, et interpretationem adhibendam esse fidem. »



esse potest illis contradicendi, et officium illas recipiendi non est laesio libertatis, aut tyrannicum iugum, sed obsequium veritati debitum.

Instant tamen 3<sup>o</sup> saltem hinc retardari hermeneutices progressus, et interpretum inertiam foveri. Cum enim interpres persuasum habeat nihil aliud a se proferri posse in Scripturae expositione, quam quod ab Ecclesia et Patribus accepit, omne studium, omnemque biblicam eruditionem superfluum, aut minus necessariam iudicabit. Quod dicunt confirmari ex facto interpretum Catholicorum, quos cum Protestantibus comparatos longe inferiores esse praedicant. Hisce tamen facile responderi potest. Quod enim pertinet ad periculum ab adversariis proclamatum, ne catholici interpretes biblica studia contemnunt, notandum est 1) regulas superius propositas non totam Scripturam respicere, sed solas partes dogmaticas: quare imprimis coetera omnia quae in Scripturis continentur latissimum interpreti campum relinquunt, in quo possit libere suum ingenium suamque eruditionem exercere, ut scilicet sensum Scripturae per hermeneuticas regulas inquirat, et exponat. Verum 2) neque ad omnes dogmaticas partes reipsa extenduntur praefatae regulae: neque enim omnia loca dogmatica Ecclesia et Patres authentice exposuerunt, quinimo multo plura sunt loca de quibus nullum authenticum iudicium prolatum unquam est. In his igitur locis expendendis et illustrandis libere adlaborabit catholicus interpres, dummodo fidei analogiam prae oculis habeat. Quinimo 3) etiam in paucis locis, quae authenticam ab Ecclesia et Patribus interpretationem acceperunt existimandum non est nihil omnino relictum esse ingenio et industriae interpretis: licet enim debeat interpretationem illam suscipere, potest tamen, imo eius muneris est ipsam illam interpretationem et rationibus confirmare, et ad regulas artis hermeneuticae exigere, et ab adversariorum cavillationibus defendere: quemadmodum in reliquis partibus Theologiae fieri solet, ubi definitiones dogmatum ab Ecclesia propositae non destruunt, neque impediunt theologiam eorundem dogmatum discussionem ac demonstrationem.

Frustra igitur adversarii pericula et incommoda fingunt ubi nulla sunt. Quinimo non solum non retardatur per catholicas regulas hermeneutices biblicae progressus, sed contra maxime pro-

movetur: ita enim interpretes a multis erroribus liberantur, et inconcussa basis ponitur super quam illi aedificare possint non tamquam in incertum currentes, aut aerem verberantes, sed ad praefinitum scopum et cum certa veritatis persuasionem studia sua dirigentes. Placet rem totam confirmare pulcherrimo testimonio Vincentii Lirinensis in Commonitorio, ubi adductis et explicatis Pauli verbis ad Timotheum: *o Timothee, depositum custodi* etc. ita prosequitur: « O Timothee, o Sacerdos, o tractor, o doctor, si te divinum munus idoneum fecerit ingenio, exercitatione, doctrina, esto spiritalis tabernaculi Beseleel, pretiosas divini dogmatis gemmas exculpe, fideliter coapta, adorna sapienter, adice splendorem, gratiam, venustatem. Intelligatur, te exponente, illustrius, quod antea obscurius credebatur. Per te posteritas intellectum gratuletur quod ante vetustas non intellectum venerabatur. Eadem tamen quae didicisti doce, ut cum dicas nove, non dicas nova. Sed forsitan dicit aliquis: nullusne ergo in Ecclesia Christi profectus habebitur religionis? Habeatur plane, et maximus. Nam quis ille est tam invisus hominibus, tam exosus Deo qui istud prohibere conetur? Sed ita tamen ut vere profectus sit ille fidei, non permutatio: siquidem ad profectum pertinet, ut in semetipsam unaquaeque res amplificetur, ad permutationem vero ut aliquid ex alio in aliud transversetur. Crescat igitur oportet, et multum vehementerque proficiat tam singulorum, quam omnium, tam unius hominis, quam totius Ecclesiae, aetatum ac saeculorum gradibus intelligentia, scientia, sapientia: sed in suo dumtaxat genere, in eodem scilicet dogmate, eodem sensu, eademque sententia. » Caeterum si interpres expositionem Ecclesiasticam ut veram recipiat, praeter illa omnia, quae circa hanc expositionem praestare potest, absolute non prohibetur aliam quoque expositionem non contrariam eidem loco tribuere, ut inferius declarabimus. Quod autem adversarii postremo loco obiciebant ex facto praecellentiae interpretum protestantium prae catholicis omnino negandum est. Nam imprimis catholici interpretes plurimi doctrina et eruditione praestantes extiterunt, ex quorum operibus ipsi adversarii multum profecerunt, qui etiam aliquando non dubitant integras paginas ex illis exscribere, ut ex. gr. facit Rosenmüller inter commentatores protestantium celebratissimus. Verum praeterea sacrorum interpretum meritum non

est praecipue aestimandum ex pondere voluminum, aut ex philologicae et curiosae eruditionis copia, sed magis ex interpretationum veritate ac soliditate, ex iudicii aequitate, et ex ea spirituali unctione quae sacrae huius scientiae propria esse debet, quibus dotibus catholicos interpretes puta Sanctium, Cornelium a Lapide, Estium, Bernardinum a Piconio, aliosque plurimos, protestantium auctoribus longe praestare, nemo aequus rerum iudex fateri recusabit.

Et haec quidem de protestantium et rationalistarum objectionibus adversus regulas catholicas a Concilio Tridentino propositas. Nunc vero de quorundam catholicorum opinione dicendum est, qui perversa interpretatione decretum Tridentinum exponentes, easdem regulas ita extenuant, ut ad nihilum fere redigant, dicentes decretum illud nullam *positivam* normam praescribere, sed tantum *negativam*. Contra quos sit sequens

THESIS XIV.

*Decretum Concilii Tridentini Sess. IV. quo praecipitur ne Sacra Scriptura in locis dogmaticis exponatur contra Ecclesiae ac Patrum sensum, non est tantum negative accipiendum, ne scilicet interpres expositiones proponat Ecclesiae et Patrum fidei repugnantis, sed omnino positive, ut ipsae Ecclesiae et Patrum de praefatis locis interpretationes recipiantur.*

Primus qui novam hanc decreti Tridentini interpretationem in-  
vexit fuit Io. Iahnus qui in *Introductione in libros V. F. Parte I, § 94* aperte assertit Concilium nullam positivam normam promulgasse, iuxta quam Scriptura esset exponenda, sed indicasse tantum quomodo ea exponenda non sit, et nihil aliud prohibuisse, nisi quod semper illicitum reputatum est, scilicet Ecclesiam spernere, et Scripturam ad pravos sensus detorquere (1). Hanc Iahnii

(1) Haec paullisper temperata fuerunt in Edit. 3<sup>a</sup> latina ab Ackermann adornata, sed in originali editione Iahnii praefatus sensus apertissime docetur: quod etiam confirmatur ex eiusdem auctoris *Enchiridio hermeneuticae generalis* §. 32, ubi cum provocasset ad Sanctorum Patrum traditionem, statim seipsum quasi excensat inquit: « Qui forte dixerit hoc nihil esse aliud, quam Scripturam ad dogmata Ecclesiastica et theologica accom-

interpretationem amplexi sunt anonymus eius vindex Lipsiae 1822 pag. 106, 119 seqq. Arigler *Hermeneut. bibl. gen.* Viennae 1813, pag. 31-34, Lang in *Patrologia*. Budae 1859 pag. 279, et do-  
lendum est etiam cl. Möhler in *Symbolica* non satis ab ea recessisse: hi vero sententiam Iahnii clarius exposuerunt contententes Concilium Trid. sub nomine *sensus Ecclesiae* non intellexisse *sensum Scripturae* ab Ecclesia propositum, sed sensum seu *doctrinam fidei* quam Ecclesia docet, unde primum erat concludere ibidem non prohiberi ne quis ab Ecclesiastica Scripturae expositione recedat, nec praecipere, ut eam admittat, sed solum vetari, ne quis fidei Catholicae in Scripturis exponendis contradicat. Verum coeteri Theologi ac biblici Scriptores falsitatem huius interpretationis certis argumentis ostenderant, donec Concilium Vaticanum Sess. III, Cap. 1 quaestioni finem imposuit sequenti declaratione: « Quoniam vero quae Sancta Tridentina Synodus de interpretatione divinae Scripturae, ad coercenda petulantia ingenia salubriter decrevit, a quibusdam hominibus prave exponuntur, nos idem decretum renovantes, hanc illius mentem esse declaramus, ut in rebus fidei et morum, ad aedificationem doctrinae christianae pertinentium, is pro vero sensu Sacrae Scripturae habendus sit, quem tenuit ac tenet Sancta Mater Ecclesia, cuius est indicare de vero sensu et interpretatione Scripturarum Sanctorum, atque ideo nemini licere contra hunc sensum, aut etiam contra unanimum consensum Patrum ipsam Scripturam Sacram interpretari. » Hunc igitur verum esse praelati decreti sensum breviter ostendemus internis externisque argumentis.

I. Argumenta *interna* ad haec revocantur.

Si Concilium Trid. nomine *sensus Ecclesiae et consensus Patrum* intellexit *Scripturae sensum* ab Ecclesia et Patribus propositum, certum est non negativam sed positivam normam indicasse iuxta quam Scriptura exponenda sit. Atqui revera Concilium hoc intellexit per *sensum Ecclesiae et Patrum*. Ergo.

Maior propositio per se patet. Nam prohibere ne quis contra-

modare, videtur non intelligere quod diximus: nam longe absumus, ut ad *auctoritatem Ecclesiae Catholicae, de qua ubi hermeneuticam tractamus sermo esse nequit*, provocemus, sed testimonium damntaxat antiquissimorum Ecclesiae Doctorum de sensu locorum dogmaticorum urgemus. »

dicat interpretationibus ab Ecclesia propositis, idem omnino est ac *iubere*, ut illae interpretationes recipiantur: non enim datur medium. Nec proinde obstare potest formula praecepti negativa, quia positivae aequivalet, et aliunde notum est Ecclesiam etiam in articulis fidei definiendis plerumque negativis formulis uti, quibus anathema dicitur iis qui contrariam errorem docuerint. Hinc etiam est quod Pius IV, in formula professionis fidei quam paulo post Concilium Tridentinum vulgavit a publicis professoribus et canonicis recitandam repetens decretum Tridentinum de quo loquimur formula utitur positiva: « Sacram Scripturam *iuxta eum sensum* quem tenuit et tenet Sancta Mater Ecclesia, cuius est iudicare de vero sensu et interpretatione Sanctarum Scripturarum, admitto, nec eam unquam *nisi iuxta unanimum consensum Patrum* accipiam et interpretabor. » Hoc itaque admissio, tota quaestio ad minorem revocatur. Haec autem certissime ostenditur sequentibus argumentis.

1° Ex ipsa *rei natura*. Opus enim non erat appposito decreto prohibere ne quis errores contra fidem et mores induceret in expositionem Sacrae Scripturae, hoc enim nec unquam revocatum est in dubium, et implicite continebatur in declaratione ac definitione catholicae veritatis.

2° Ex *scopo* ad quem Decretum dirigitur. Si enim hoc esset intelligendum quemadmodum vellent adversarii, decretum adversus haereticos seu Protestantes editum fuisset, quemadmodum revera affirmat Iahnus in citato loco inquit: « decretum petit Novatores, qui dogmata semper et ubique credita eliminare volebant et volunt. » Atqui hoc falsum omnino est: Decretum enim potius liberiores quosdam catholicos interpretes impetit, qui licet fidei contradicere nollent, recusabant tamen Ecclesiae expositionibus Sacrae Scripturae acquiescere. Demonstrat hoc ex ipso exordio Decreti: *ad coercenda petulantia ingenia*: quo nomine non solent haeretici appellari, praesertim cum haec ponantur in fine Sessionis postquam de haereticis sententia adversus Scripturam et Traditionem actum fuisset, indicto illis anathemate. Clarius adhuc id demonstrat decreti clausula: « Qui contravererint, per Ordinarios declarentur, et poenis a iure statutis puniantur: » haeretici enim nec Ordinarii, seu legitimis Ecclesiae pastoribus obediunt, nec ab iis puniri possunt.

3° Ex *contextu* Decreti res prorsus evincitur. Nam post illa verba: sensum quem tenuit et tenet Sancta Mater Ecclesia, statim additur: *cuius est iudicare de vero sensu, et interpretatione Scripturarum Sanctarum*. Ergo nomine sensus Ecclesiae, non in genere fidei doctrina, sed in specie sensus Scripturae intelligitur, qui propositus est ab Ecclesia, cuius est de eo iudicare.

II. Argumenta *externa* thesim confirmant. Sane:

1° Ipsum Concilium Tridentinum sua agendi ratione in sequentibus Sessionibus sensum prioris illius decreti abunde declaravit. Non solum enim fidei dogmata definiit adversus Novatores, sed etiam plurium locorum Scripturae sensum expresse declaravit, et ab omnibus recipi iussit: exempla in praecedentibus Thesis allata sunt ex variis Sessionibus, de Baptismo, de Poenitentia, de Extrema Unctione, de SS<sup>ma</sup> Eucharistia et alibi.

2° Confirmatur ex testimonio tum Pauli Sarp<sup>ii</sup>, tum Card. Pallavicini, qui historiam Concilii licet contrario animo ac scopo scripserunt. Uterque enim fatetur Concilium noluisse eo decreto haereticas interpretationes proscribere, sed eas tantum quibus Scripturae interpretatio ab Ecclesia et Patribus determinata excludebatur. Sane primus in *Hist. Conc. Trident.* Lipsiae 1690 lib. II, pag. 260 narrat occasionem Decreto datam esse a Card. Caietano, qui docuerat licitum esse in Scripturis exponendis novam interpretationem proponere a Patrum unanimi sententia alienam: « quando cum textu concordat, neque cum fidei doctrina pugnat. » Ergo non fuit quaestio de haereticis expositionibus damnandis. Alter vero seu Pallavicinus in sua *Istoria del Concilio di Trento* Lib. VI, Cap. 18 praedictam Sarp<sup>ii</sup> narrationem non impugnat, ut semper diligentissime praestitit quoties ille falso vel inaccurate facta narraverat; quare illam ut veram probasse censendus est: quinimo n. 2 ita paucis aperit genuinum Decreti sensum: « Vieta il Concilio che alla Scrittura si dia interpretazione contraria *al modo con cui unanimemente la intesero* i Santi Padri, e ciò nelle materie di fede o di costumi » et paulo post ubi conatur Caietani mentem benigne explicare addit: « Non essendo illecito di dare ad un passo della Scrittura un nuovo senso, quando esso luogo non ha avuto o dalla Chiesa o dall' unanime consenso dei Padri *una determinata interpretazione*. » Ergo quando hanc determinatam interpretatio-

nem acceperit non amplius licebit, reiecta illa interpretatione, aliter eum exponere. Accedit auctoritas Theologorum qui Concilio Tridentino interfuerunt, vel eius aetate, aut deinceps floruerunt: omnes enim intellexerunt in Decreto illo positivam normam praescriptam fuisse, quam omnes interpretes in Scriptura exponenda sequi debeant, donec Iahnus initio nostri saeculi peregrinum hoc inventum de negativo decreti sensu protulit, reliquis Catholicis mirantibus et adversus illum conclamantibus. Denique Concilii Vaticani Patres iudicium suum interposuerunt, et mentem Concilii Tridentini eam esse declararunt, quam nos defendimus.

III. Argumenta adversariorum ad haec revocantur.

Dicunt 1<sup>o</sup> scopum Concilii fuisse haereticorum errores configere, et catholicam veritatem in tuto ponere, non autem domesticas inter catholicos doctores quaestiones dirimere.

Resp. alium esse scopum generalem et principalem Concilii, alium vero specialem unius vel alterius Decreti, praesertim cum Concilium Tridentinum expresse intenderet etiam abusus qui inter Catholicos irrepserant reformare ac eliminare. Nec vere dici potest quaestionem de qua loquimur domesticam fuisse; quasi nempe ageretur de illis opinionibus quae libere hinc inde discutuntur in scholis Catholicorum, a quibus revera Concilium summa prudentia abstinuit: sed hic agebatur de re, in qua omnes consentiebant, paucis exceptis liberioris ingenii hominibus.

Dicunt 2<sup>o</sup> Catholicos quosdam interpretes, imprimis Bannesium, et Azorium, paulo post Concilium Tridentinum docuisse licitum omnino esse aliter ac Patres et Ecclesia fecerint Scripturas interpretari, dummodo haec alia interpretatio fidei analogiae non repugnet.

Resp. Ex eo quod non liceat sensum Scripturae ab Ecclesia propositum reiicere, non statim sequitur illicitum esse alium sensum cuidam loco Scripturae tribuere praeter illum quem tenet Ecclesia: seu, quod idem est, prohibere interpretationes *contrarias* expositioni Ecclesiae non involvit prohibitionem *expositionis diversae*. Id utique fieret si unus tantum sensus possibilis sit: tunc enim non posset alius admitti nisi illo priore excluso. Verum si quis locus plures sensus habeat aut habere credatur, sive unum literalem, alterum mysticum, sive unum primarium et immediatum, alterum

secundarium et inclusum, sive demum utrumque literalem immediatum, ut multorum sententia ferebat, inter quos Bannesius et Azorius in obiectione laudati, potest quis novum sensum loco cuiusdam Scripturae tribuere quin cogatur hoc ipso sensum ab Ecclesia receptum reiicere: sed hoc tantum cavere debet, ne novus quem tradit sensus, analogiae fidei repugnet, aut contextui coeterisque hermeneuticis criteriis contradicat.

Dicunt 3<sup>o</sup> contrariam sententiam a Card. Caietano propugnatam fuisse, quin tamen a Concilio Tridentino damnatus fuerit: Cardinalem autem Pallavicini in historia Conc. Trid. lib. VI, cap. 48 Caietani defensionem suscepisse. Ergo mens Concilii non fuerat sententiam illam Caietani damnare, proindeque non nisi negativam normam proposuit.

Resp. 1<sup>o</sup> Quod pertinet ad Caietanum, iam animadvertimus eius sententiam occasionem dedisse Tridentino Decreto, per quod illa proscripta fuit. Ratio autem cur in Decreto nominatus non sit procul dubio fuit tum reverentia eius dignitati, doctrinae et insignibus in Ecclesiam meritis debita, tum quod non malo ac pertinaci animo illud docuisset, nec deessent rationes eius verba in bonum sensum trahendi, ut infra videbimus. Coeterum auctoritas Caietani in hac re non adeo magna est, cum aliunde notum sit eum in singulares et liberiores opiniones proclivem fuisse. Et speciatim in re de qua agimus ab aliis Theologis severe reprehensus est, quos inter Melchior Canus lib. VII locor. Theol. cap. III ita de eo loquitur: « Illud breviter dici potest, Caietanum summis aedificatoribus Ecclesiae parem esse potuisse nisi quibusdam erroribus doctrinam suam, quasi cuiusdam leprae admixtione foedasset. . . . et Literas Sacras suo arbitratu exposuisset. . . . Nam et vetustae traditionis parum tenax, et in sanctorum lectione parum quoque versatus, libri signati mysteria ab his noluit discere, qui non suo sensu illa sed maiorum traditione, vera scilicet verbi Dei clave, aperuerunt. » Et paulo post concludit: « Haereticorum itaque et schismaticorum communis fuisse videtur Caietani illa sententia. »

Resp. 2<sup>o</sup> ad auctoritatem Pallavicini, eum noluisse Caietanum defendere in hypothesi quod hic negaverit necessario sequendam esse expositionem Scripturae ab Ecclesia propositam (quod Pallavicinus

in citato libro a Concilio Tridentino praescriptum fuisse contendi), sed potius, supposito illo sensu positivo Decreti Tridentini, conatum fuisse benigne explicare Caietanum, ne videretur menti Concilii contraxisse. Hoc manifeste apparet ex eius verbis. Ut tamen haec intelligantur praemittendus est locus Caietani, qui controversiae occasionem dedit. Legitur hic in Praefatione ad eius Comment. in Pentateuchum ita: « Si quando occurrerit novus Scripturae sensus, textui consonus. . . *quamvis a torrente doctorum sacrorum alienus*, aequos se praebant censores: » et paulo post: « Non itaque detestetur (lector) novum Scripturae sensum ex hoc quod dissonat a priscis doctoribus, sed scrutetur perspicacius textum ac contextum Scripturae, et, si quadrare invenerit, laudet Deum, qui non alligavit expositionem Scripturarum sensibus priscorum doctorum, sed Scripturae integrae sub Catholicae Ecclesiae censura; alioquin spes nobis erepta esset exponendi Scripturam Sacram, nisi transferendo, ut aiunt, de libro in quinternum. » Haec itaque verba quae a plerisque damnata sunt, Pallavicinus conatur benigne explicare hac ratione: « Il detto del Gaetano non osta al Decreto del Concilio. Vieta il Concilio che alla Scrittura si dia interpretazione contraria al modo con cui unanimemente la intesero i Santi Padri, e ciò nelle materie di fede o di costumi. Ora il Gaetano (comunque il Cano lo intenda) nè parla di queste, nè dichiara che sia lecito mai di contrariare al senso unito de' Santi Padri, ma bensì che sia lecito il dare alla Scrittura una esposizione affatto nuova e diversa da tutte le loro. » Coeterum ipse Pallavicinus in capite praecedenti reprehenderat nimiam libertatem Caietani in Scripturis exponendis, praesertim in citato commentario in Pentateuchum, quem pulchre comparat pavonis pedibus (1).

(1) Ait enim cap. 17 respondens Lutheranis et Sarpio Caietani auctoritatem opponentibus: « Quanto al Gaetano il parlare intorno ai suoi commenti sopra la Scrittura, è un parlare non intorno alle penne ma sì ai piedi d'un bellissimo paone, essendo avvenuto che ove quel grande intelletto nelle altre opere fu ammirato, in queste per lasciarsi egli trasportare dalla guida di chi meglio intendeva la grammatica ebraica che i misteri divini, rimanesse inglorioso. Anzi con quella esposizione mosse Gabriele Prateolo Vescovo di Chiaramonte a connumerarlo fra gli eretici. »

## ARTICULUS II.

### CRITERIA ET REGULAE QUAE EX INDIRECTO AC GENERALI ECCLESIASTICI MAGISTERII INFLUXU IN SACRAE SCRIPTURAE INTERPRETATIONEM DERIVANTUR

Huiusmodi criteria revocantur ad *analogiam fidei* catholicae, seu integrae doctrinae, quam Ecclesia docet ac praedicat, cuius consideratio interpretem dirigere debet etiam in iis locis Scripturae, de quorum interpretatione Ecclesia nullum definitivum pronuntiavit iudicium.

Vox ista *analogia fidei* ex Paulo desumpta est Rom. XII, 6, ubi recurring haec verba: *αναλογία της πιστεως*. Potest autem in genere definiri: *Complexus, harmonia et congruentia existens inter veritates revelatas et a fidelibus credendas*. Potest autem considerari analogia vel inter solas veritates in Scripturis revelatas, vel inter omnes veritates quas Ecclesia credendas proponit, sive in Scripturis contineantur, sive tantum in traditione, sive in utroque simul revelationis fonte. Si primo illo modo consideretur dicitur *analogia fidei biblicae*, si altero modo dicitur *analogia fidei catholicae*. Protestantes primam tantum admittunt, quae fere confunditur cum parallelismo biblico doctrinali, quia nempe nullum alium agnoscent revelationis ac fidei fontem praeter Sacram Scripturam. Ab his non multum recessi Iahnus in cit. §. 32. *Enchiridii Herm. gen.* ubi affirmare non veretur nullam in hermeneutica habendam esse rationem auctoritatis Ecclesiae qua talis, et tantum concedit respiciendam esse veterum doctorum expositionem Sacrae Scripturae, quemadmodum in intelligendis veterum philosophorum scriptis utiliter consuluntur eorum discipuli ac sectatores. Verum omnes sanioris mentis, et orthodoxi catholici scriptores omnino contendunt integram Ecclesiae catholicae doctrinam, seu analogiam *totius fidei catholicae* prae oculis habendam esse, quae quidem formaliter continetur in vivo magisterio Ecclesiae seu publica praedicatione, materialiter vero in authenticis Ecclesiae decretis dogmaticis, et in symbolis fidei ab Ecclesiae auctoritate vulgatis aut saltem receptis, nec non implicate in publica et universali Ecclesiae praxi. Sub hoc respectu